

sunt pravi & corrupti, pulsus modò magnus, modò parvus, ac varius apparet, sæpiùs in lipothymiam & lyncopen transit, atque alia signa humorum malignorum præsentiam indicantia animadvertuntur. Si à tumore ortum ducat palpitatio, notabilis in pulsu observatur varietas ac inæqualitas. Et si humor sit calidus, maxima in corpore erit inflammatio, sitis magna, difficilis respiratio, succedet lipothymia & tandem mors sequetur. Si autem tumor durus sit in pericardio, motus cordis est continuus, ægerque sensim sine manifesta causa & evidenti contabescit. Si caro vel simile quid cordi à primo ortu adnascatur, palpitatio quoque à primo ortu ad mortem usque hominem comitatur. Si proveniat à vermibus in cordis capsula, cor interdum quasi aliquid pungit & rodit, interdum lumbrici in excretis videntur, ægerque sæpiùs patitur convulsiones & paroxysmos recurrentes.

SIGNA PROGNOSTICA 1. RATIONE GENERIS: Omnis palpitatio malum periculosum est, læditur enim cor, quod morbos graves diu pati non potest, *Hipp. l. de corde*, confirmat *Aristot. 3. p. an. 4.* & *Galen. 5. loc. aff. 6. 2.* Experientia Galli.

2. RATIONE SUBJECTI: Palpitatio cordis cordis idiopathica periculosior est, ac difficiliùs curatur, quàm quæ fit per consensum. Et quæ à pericardio affecto originem habet, hominem lentè consumit & ad tabem deducit.

RATIONE CAUSARUM: Periculosa maximè est, quando causa irritans maligna simul ac corrupta existit, talesque ægri plerumque citò moriuntur. Quæ ab aquæ copia in pericardio contenta provenit, nunquam integrè curatur. Quæ item provenit à soluta unitate vel tumore cordis, desperata & insanabilis habetur. Insanabilis quoque est, quæ à carnosa & ossea quadam substantia aut simili materia producitur.